

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput XII. De justificatione

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

Christum applicat sibi, ut qui pro peccatis nostris ob-
latus, Esa. 53. cui nostri causa caput in cruce retortum
est.

POENITENTIAE CAUSA
DEUS.

1227. Gen. 8. *Noa manum extendit, columbam ad
se recepit.* Nos ad Christum cœlestem Noachum redi-
re non possumus, nisi ipse gratiæ manum porrigat,
nos ad se trahat Joh. 6. v. 44. *Nemo venit ad me, nisi
pater traxerit eum.*



CAPUT XII.

DE JUSTIFICA-
TIONE.

JUSTIFICARI EST VESTI-
bus indui.

1228. *Stola byssina indutus est Joseph, Gen. 41. v. 42.*
Sacerdotum quoque byssina tunica & tiara fuit, Exod.
28. v. 39. Ita justificati per fidem, veste justitiæ Christi
induimur, Esa. 61. v. 10. pannus ille menstruatus mi-
quiratum nostrarum exuitur, Esa. 64. v. 6. Hæc est ve-
stis illa, quam suo ipsius sanguine tinxit salvator in tor-
culari passionis, Esa. 63. v. 2. 3.

JUSTIFICATIO EST INDUERE
vestes.

1229. *Folia ficus contexuerunt protoplasti, nudita-
tem suam tegere non potuerunt, Gen. 3. v. 7. Sed Deus ipse
vestes ex pellibus ipsis fecit, easque induit, vers. 21. Folia
ficus*

ficus opera sunt, etiam optimè contexta, manent tamen folia ficus, non vestes: quia etiam si omnium optimè contextantur opera humana; tamen folia manent, hoc est, imperfecta, partim respectu adjunctæ imperfectionis, quæ in omnibus est humanis actibus, Syr. 27. vers. 5. partim respectu causæ efficientis, quæ semper imperfecta, Luc. 17. vers. 10. Ergo opera nostra nihil, nisi folia sunt, quæ nuditatem tegere non possunt: folia enim sunt, quæ peccatorum nostrorum

1. Ventus facillè dissipat, dissipat eadem
2. Ventus iræ Dei, quæ per legem excandescit.
3. Ventus conscientie nostræ, accusantis & intumescentis. Nemo ergò confidat in suis operibus meritorie: nihil enim nisi folia sunt levia; quod agnovit D. Bernhardus, nihil suis operibus tribuens, in ultimo agone constitutus, sed ad Christi vestes confugiens, iisdem tegi se expetiit. Vide D. Lutherum in c. 12. Daniel. Homo textor est: Deus ergo nobis vestes confuit ex Filii sui innocentia, quibus tegimur, Psal. 32. vers. 1.

JUSTIFICATIO EST PECCATI tegmen.

1230. Psal. 32. v. 1. *Beatus, cui tectum est peccatum*, Rom. 4. v. 7. Justificare ergo est tegere peccatum; hoc fit, Christum ut propitiatorium verum verâ fide intuendo: Et sic peccatum tegitur, quod extra Christum patebat, tam Deo, quam conscientie. At remissum

1. *Tectum est* Deo, propitiationem filii intuenti.
2. *Tectum cordi nostro*, pacem Dei sentienti, Rom. 5. v. 1. I. Joh. 3. v. 19.
3. Res, quâ tegitur, est innocentia Christi, quæ vestis

vestis est, Esa. 61. v. 10. peccatorum nostrorum vestem menstruatam tegimus illâ, Esa. 64. v. 6.

4. Quomodo assumimus hanc vestem? nempe in baptismo & vera fide, Galat. 3. v. 27.

ASPERGIO SANGUINIS Christi.

1231. *Vera fide applicati. Hyssopo aspergebantur superliminare & uterque postis*, Exod. 12. v. 22. leprosus mundabatur, Lev. 4. v. 4. *Ejus quoque usus erat in sacrificio pro peccato & aspersione aquæ lustralis*, Num. 19. v. 6. Verus hyssopus Christi sanguis est, quo, verâ fide applicato, uterque cordis nostri postis aspergitur, & superliminare vultus nostri mundatur, ne ab angelo cædis nobis timeamus; angelus autem cædis est Diabolus, Joh. 8. v. 44. Leprosi spirituales omnes sumus; at Christi sanguine lavamur, Apoc. 1. v. 5. qui est verum pro peccatis sacrificium, 1. Joh. 1. vers. 7. vera aqua lustralis.

JUSTITIA CHRISTI IMPU- tatur.

1232. *Aurea corona arca fœderis erat*: Exod. 25. vers. 11. Rom. 8. v. 2. 3. 1. Cor. 1. v. ult. probata igni paternæ iræ, quando nimirum in cruce suspensus Christus, ibique igni paternæ iræ probatus. Hanc coronam justitiæ nobis dat, cum eam nobis imputat, Rom. 4. v. 7. per fidem inchoativè, ut fulgeamus eadem consummative in altera vita, quando duæ coronæ sequentur, *vita*, Apoc. 2. v. 10. *gloriæ*, 1. Petr. 5. v. 4. immarcessibilis, 1. Cor. 9. v. 25. Ille enim est, qui nos coronans bonitate, Psal. 103. coronas has capiti nostro imponet, Ezech. 16. v. 12. quod grata mente nostrum est agnoscere, ut Apoc. 4. v. 10. quoque reges facti simus Deo patri, Apoc. 1. v. 5.

JUSTI-

JUSTITIA CHRISTI EST amictus.

1233. Ezech.16. v.8. *Amictum suum super nos expandit Dominus: Hic amictus illa vestis est salutis, Esa. 61. v.10, vestis illa sanguine aspersa, Apoc.19. vers.13, Hanc super nos expandit, ne nudi inveniamur coram Domino; ne ejiciamur, ut hospites, minus parati, Matth.22. v.12. Hæ sunt stolæ albæ, Apoc.7. v.9. quibus sancti induti sunt.*

EST BACULUS DIVIDENS mare rubrum.

1234. Exod.14. vers.16. *Moses baculo manibus apprehenso mare rubrum dividebat, à Pharaone se suosque immunes præstabat, inque tutum collocabat: Baculus, quem apprehendere debemus, Christus, ipsiusque meritum; hic est baculus consolans nos, Psal.23. vers.4. Hunc fidè tenentes rubrum mare divinæ justitiæ percutimus, (terreat ea nos sive in vita, sive in morte) incolumes transimus, cum Christi merito justificamur.*

CHRISTUS VERUM EST propitiatorium.

1235. Rom.3. v.25. *Deus proposuit Christum propitiatorium. Christus est verum illud propitiatorium*

1. *Ob nomen: Dicitur enim propitiatorium, sedes gratiæ, nullibi enim, nisi in Christo gratia, Joh.1. v.16. Rom.5. v.11. & 15. In hoc solo gratiæ fons.*

2. *Ob materiam ex quâ. Ex auro puro fiebat: Christi justitia est solum aurum illud purum, quod in igne divinæ justitiæ consistere potest. Affer justitiam humanam & omnia merita: nihil nisi pulvis sunt, non aurum in examine ignito conscientiæ.*

3. *Ob Cherubinarum obiectionem; Duo Cherubini sunt*

sunt Vetus & Novum Testamentum, quorum unumquodque in Christum intentum, Act. 15. v. 11. Cherubin unus ab una extremitate, alter ab altera propitiatorium obumbrabat Exod. 25. v. 19. In utroque enim testamento, nil nisi Christus, proponitur, Exod. 25. v. 20. 21. tanquam verum propitiatorium.

4. *Ob propitiatorii propositionem*: Illud enim collocabatur super arcam fœderis, v. 21. d. 1. Ad indicandum, fœdus nostrum cum Deo in *Christo* solum pangi, Matth. 26. v. 28. *Hic calix est N. Testamenti.*

5. *Ob revelationis rationem*, vers. 22. Ita Deus per Christum nobis loquitur, Matth. 3. v. ult. Deut. 18. vers. 19.

6. *Ob nubes apparitionem*, Levit. 16. v. 2. Ita gratiæ nubes illa, Matth. 17. v. 5. non terroris, Hebr. 12. v. 18. Exod. 19. v. 12. super hoc propitiatorio nobis apparet.

7. *Nebula obreptionem*. Nebula enim incensorum propitiatorium obtegebat, Levit. 16. v. 13. Ita *nebula precum Christi* in cruce, obtexit Christum verum propitiatorium, peccata nostra fugavit, Hebr. 5. vers. 7.

8. *Sanguinis asperionem*, Levit. 16. v. 14. Ita Christus suo ipsius sanguine propter nos aspersus, Esa. 63. vers. 3.

9. *Mysticam significationem*. Salomon ex typo sibi à patre tradito domum propitiatorii exstruxit, 1. Chr. 29. v. 11. Ita Christus templum corporis sui, verum propitiatorium, multis typis adumbratum, ipsius in carne exhibuit: Ad hunc ergo accedamus; Hebr. 4. v. 16.

FRUCTUS JUSTIFICATIONIS EST
adoptio nostri.

1236. *Jacob adoptavit sibi duos à Josepho procreatos filios,*

filios, Ephraim & Manasse, Gen. 48. v. 5. Deus pater Jacob est, qui adoptat eos, qui à Josepho per verbum & sacramenta geniti sunt, Joh. 1. v. 13. 1. Petr. 2. v. 4. Matth. 19. v. 28. Ephraim significat fructuosum: Illos igitur adoptat Deus, qui habent fidei arborem in cordibus, fructibus pœnitentiæ, Matth. 3. v. 8. patientiæ, Luc. 8. v. 15. Spiritus Gal. 5. v. 22. justitiæ, Philip. 1. v. 11. ornata ex his fructibus arbor cognoscitur. Manasse significat obliviosum. Decet filios Dei, hujus mundi oblivisci, Psal. 45. v. 11. Filia obliviscere domum patris tui, Phil. 3. v. 14.

JUSTIFICATI ADOPTANTUR.

1237. *Moses ex aquis extractus, à filia Pharaonis adoptatur, Exod. 2. v. 10.*

1. Duo hic notandi; Terminus à quo: & Status, ad quem: *ex aquis peccati & damnationis, per aquas baptismi, Titum 3. extracti à Deo adoptamur.*

2. Ob adoptionem longè feliciorē: hâc enim constituimur hæredes cœli, Rom. 8. v. 15. seq. Gal. 3. v. 26. cap. 4. 6. Eph. 1. v. 5. Hanc expectamus gemitibus multis, Rom. 8. v. 23. nec adoptionem filię Pharaonis, hoc est, mundi, magni facimus, exire cum Mose volumus, Hebr. 11. v. 24. seq. Hanc adoptionem

1. *Jus libertatis sequitur; de quo Gal. 5. v. 1. Joh. 8. v. 36. Act. 15. v. 10. Rom. 7. v. 6. Luc. 1. v. 74.*

2. *Jus filialis accessionis ad Deum, velut patrem nostrum, Rom. 8. v. 15. Abba.*

3. *Jus hereditatis & participationis bonorum omnium, Rom. 8. v. 17. Gal. 4. v. 6. 7.*

CHRISTI TUTELA.

1238. *Mardocheus tutor Estheræ, eam in filiam ad-*

adoptat, Ehster. 2. vers. 7. Christus est verus Mardochæus,

1. *Nomine*: Mardochæus significat amaram contritionem; Christus ob peccata nostra amarè contritus, Esa. 53. per totum ferè.

2. *Tutela*: Mardochæus Estheræ tutor factus, Ita Christus mediator noster, curator noster, removens legis curatorem Gal. 4. v. 2. & 5.

3. *Tutela inchoata tempore*; post mortem parentum Estheræ Mardochæus tutor est datus: Christus post protoplastorum mortem noster factus est curator & tutor.

4. *Ipsa adoptione*, Gal. 4. vers. 5. ut veros Israelitas, Rom. 9. v. 4. adoptavit nos Christus, Spiritu adoptionis donavit Rom. 8. v. 15. *Non est hæc ficta adoptio, qualis Alexandri M. quem Jovis filium, non Philippi, perhibebant parasiti*: Verum in prælio vulneratus spem adoptionis abjecit; *Ecce* (inquit) *sanguis!* At nos gloriari possumus in tribulationibus, Rom. 5. v. 11. scientes, verè nos Dei filios esse, quibus tamen nondum apparet, quid sint, 1. Joh. 3. v. 2.

JUSTIFICATIO EST MUNDATIO

nostri spiritualis.

1239. *Si lotus fuero aquis nivis, & fulserint velut mundissime manus mee: Tamen sordibus intinges me & abominabuntur me vestimenta mea*, Job. 9. vers. 30. 31.

1. *Aquæ nivis sunt justitiæ humanæ opera quævis, quæ cum nive comparari possunt.*

1. *Ob colorem*: Ut enim nix alba est (albedo autem in sacris indicium sanctimoniz est;) Ita opera justitiæ humanæ candida apparent, Matth. 6. v. 2. 3. Esa. 58. v. 5. cum tamen sint sordida in oculis Dei, menstruata, Esa.

Esa. 64. v. 6. Omnes justitiæ nostræ sunt sicut pannus menstruatus, Job. 9. v. 28. Verebar omnia opera mea.

2. *Ob velocem transitum.* Aqua nivis cito dilabitur & calor solis eam depascit, *Job. 24. v. 19.* Ita justitia humana non consistit in judicio Dei, *Job. 14. v. 4. & 17. cap. 15. v. 14. 15. Psal. 130. v. 3. Psal. 143. v. 2. Calor ille legis & ira divinæ fluidam illam justitiæ humanæ aquam absorbet: Imo conscientiæ calor, Psal. 32. v. 4. omnem justitiam humanam prosternit.*

3. *Sordes hæ peccatorum sunt, quibus intingimur: Et vestimenta illa sunt nostra, inquinamenta & peccata, quæ nos abominabiles faciunt coram Deo, Job. 15. v. 16.*

4. *Ita justificati lavamur aqua & sanguine Christi, qui solus nos emundat, 1. Joh. 1. v. 7. Sordes tolluntur per meriti Christi asperionem, vestimenta peccatorum abjiciuntur, & vestes salutis induuntur, Esa. 61. 10.*

JUSTITIA CHRISTI TEGIMUR, ut gratiosa nube.

1240. *Nubes obumbravit tabernaculum, Domino veniente, Exod. 40. v. 34. Symbolum hoc erat gratiola præsentia Dei. Christus autem nostra est gratiola nubes,*

1. *Gratia sua nos obumbrando, & velut sub alis salutariferis protegendo, Malach. 4. v. 2. sub alis omnipotentia, velut umbra custodiendo, Psal. 91. v. 1.*


2. *Calorem legis & ira Dei mitigando; sicut nubes æstus solis mitigat, eundem intercipiens: ita Christus æstum legis tollit, ipse legi subditus, Rom. 8. v. 23. Gal. 4. v. 4. Legis finis factus, Rom. 10. v. 4. Sub hac arbore gratiosa tuti delitescimus.*

3. *Pluviam solatii & Spiritus sancti in nos demittendo, in æstu crucis, ut nobis refrigerium esse possit,*

possit, Joh. 15. vers. 26. Et. 30. vers. 20. cap. 41. vers. 17.

4. *Amaras aquas in dulces convertendo.* Aquei enim vapores & aqua marina in nube collecta dulcis efficitur: Ita aqua pœnitentiæ dulcis redditur in justitiæ nostræ nube illâ gratiosissimâ, Christo Jesu.

5. *Lumen præbendo.* Nubes enim lucidæ lucem præ se ferunt: Ita Christus non est opaca Mosis nubes, Exod. 19. v. 9. sed lucida, accendens veram in cordibus nostris lætitiâ, & justitiæ suæ fulgidissimam jubar ita temperans, ut sub ejus præsidio tuti quiescamus, Conf. supr. c. 3. all. 30.



CAP. XIII.

DE FIDE.

FIDES

1241. *Est columna ignis ducens nos per desertum mundi,* Exod. 13. v. 21. è tenebris nostræ ignorantæ, inter nos, nostrosque hostes discriminans.

2. *Noctu lucebat:* Ita Fides nobis lucet in nocte hujus vitæ ut Nehem. 9. v. 19. Ita fides nobis lucem præbet in via vitæ nostræ ambulantiibus: *Sine fide enim omnia plena sunt erroribus & tenebris.*

FIDES EST FUNICULUS.

1242. Jer. 31. v. 3. *Ex mera bonitate te attraxi ad me.* At gravia attrahimus: *Graves autem fumus naturæ nostræ pondere & vitiis, quæ supra capita nostra transeunt,* Pf. 38. v. 5. quæ gravis Dei manus premit, Pf. 32. v. 4. & quæ in profundum damnationis nos demergunt, & variarum calamitatum, Thren. I. v. 14. Pf. 130.

Mm

VJ.